



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

X. De puero & puella.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

De puero & puella.

CAPVT X.



Num in duobus miraculum per omnipotentis Dei famulum laudabile factum in puella duodenni, quæ prior matrem comitata ad nos vsque peruenit; & in puero, vt computabatur septenni, qui paternis humeris allatus, sequens, è diuerso venit, operæ precium * *in ferrea.* inserendum videtur, sed non sine scrupulo, dum quosdam sanctis, per quos Deus nostris temporibus, quæ & in antiquis quoque operatur, detrahere confundimur, quasi & ipsi infirmiores fuerint in hac parte. Vna enim voce sub terribili maiestatis diuinæ contestatione, & sanctorum inuocatione mater sibi filiam, Pater vnicum, mortis dolore subtractum fuisse; illa, tactis reliquiis beati Othonis; ille verò, pro puero censum in quinque denariis offerens, super sepulchrum, nulla spe, vt à quibusdam imponitur, obsecrationis, mortuos suos de resurrectione, se, fidei suorum testimonio confirmabant accepisse. Nos autem non derogationi, sed diuinæ operationi locum dantes, diuino iudicio istud relinquimus. Siue enim semiuiuis vitam reparare, siue defunctis animas reddere, diuinæ Virtutis est.

De homine ferro in gutture sauciato.

CAPVT XI.



Afu accidit, vt quidam conciuem suum ferro in gutture sauciaret, ac, defluente sanguine, per totam noctem & diem semiuiuum relinqueret; cumque cibum, vel potum sibi infusum per ipsum meatum vulneris eiceret, & iam desperaretur, mater dolore filij intrinsecus tacta: Hunc tibi miseratori omnium benignissimo, beate, ait, Otto, oblaturum deuouco, si eum sanum & incolumem